

Ex Diplomatarium Ordinis Predicatorum

1234 12/5

Rome

Ruthenia (prov. of Polonia)

Pope Gregory IX authorizes the Friars Preachers working in Ruthenia with extra privileges in regard to hearing confession and giving absolution to the Catholics residing there, as well as on other issues that may help the friars in their conversion of the infidels, due to the difficult conditions that they are meet with there.

Source: Original document (damaged). Dominican Archives, Kraków.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis fratribus ordinis fratrum predicatorum in terras Ruthenorum et paganorum proficiscentibus, salutem et apostolicam benedictionem. Cum messis multa sit, operarii vero pauci, evangelicus ille paterfamilias in messem suam operarios adhuc mittit, et in hac quasi undecima hora vinec sue novos deputat vinitores, quorum laborem pari cum primis denario recompenset. Cum igitur in terris Ruthenorum aliorumque infidelium vobis sit animarum sollicitudo commissa, ut illius operante clementia, qui de lapidibus potest abtas filios suscitare, verbo et exemplo proficiatis ibidem, et ex.....es in invia reducatis ad viam, nos considerantes, quod ministerium vestrum diligenter implentes, vos operarios inconfusibles exhibetis [vici]orum sentes extirpare de agro Domini satagendo, propter quod indubitatem de vobis fiduciam obtinemus, ut qui spiritu vivitis s.... ambuletis et de doctrina et conversatione vestra flores et fructus proveniant gratiore, devotioni vestre presentium auctoritate concedimus, ut in terris illis vobis sit licitum christianorum ibi morantium de prelatorum suorum consilio dummodo sint catholici et aliqu..... accendentium confessiones audire ac eis penitentiam injungere salutarem, et ipsis si aliquibus excommunicationum sententiis sunt astricti satisfactione premissa beneficium absolutionis juxta formam ecclesie impertiri, ita tamen, quod christianis ad partes illas accendentibus huiusmodi absolutio non nisi in necessitatis articulo impendatur et tunc injungatur eis, quod de jure fuerit injungendum. Liceat quoque vobis cum vestri ordinis fratribus super irregularitate, nisi adeo sit enormis et gravis, quod ea notati ad sedem essent apostolicam transmittendi, provide dispensare, ac alia facere, que ad conversionem infidelium et salutem pertinere noveritis animarum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursum. Datum Laterani, ·iiii· idus maii, pontificatus nostri anno octavo.

Published: *Akta grodzkie i ziemskie* vol. VII no. 2.

[ExDOP mainpage](#)

[Centre for Dominican Studies of Dacia](#)